NONNULLA CIRCA ANGIECTASES ANEURISMATICAS VASA IN MAJORIBUS…

Celidonio Mastella

Schiv.

NONNULLA

CIRCA

ANGIECTASES ANEURISMATICAS

VASA IN MAJORIBUS CAVITATIBUS CONTENTA

CORRIPIENTES

ad Medicinae Lauream

IN CELEBERR. PATAVINO ARCHIGYMNASIO

OBTINENDAM

A

CELIDONIO MASTELLA

VERONENSI

EXPOSITA

PATAVII

TYP. CARTALLIER ET SICCA

1839

64

Opinio vigebat ab antiquis usque repetita temporibus, quod aneurismata nihil essent aliud, quam ea morbosa arteriarum conditio, in qua musculares earumdem fibrae paullatim atque pedetentim morbose dilatatae in saccum aneurismaticum convertebantur.

Neoterici vero medici, et praesertim laudatissimus Italus noster Antonius Scarpa, rejecta veterum opinione, aneurisma morbum esse affirmat, in quo topica revera corrosio, atque continui solutio in tunicis arteriarum conspicitur, et facili negotio in oculos incurrit; arteriarumque dilatationem, quae quandoque accidit, toto caelo a vero aneurismate differre docuit.

Hinc observandum est hujusmodi dilatationem symptomaticam potius esse et temporariam conditionem vel in utero praegnantium mulierum, vel in quibusdam tumoribus cysticis atque steatomatosis, quae, cessante graviditate, post partum disparet, et arteriolae per muliebrem uterum dispersae contrabuntur, et pristinam naturalem formam accipiunt.

Hisce praemissis notionibus, hoc mihi in animo est, ut symptomata, quibus singula aneurismaticarum internarum angiectasium stadia construi solent tum in collo, tum in thorace, tum etiam in abdominis cavo, causas quibus producuntur, et medica

tandem subsidia, quae talibus in circumstantiis utiliora comperta sunt, seorsim exponam.

Atque ad morbosa phaenomena aneurismatis incipientis in collo enumeranda animum convertendo, jam cuilibet notum est ea a primis etiam morbi incunabulis patentiora esse, faciliusque distinguenda ab illis morbosis bujusmode alterationibus internas et abditiores partes occupantibus.

Quapropter simul ac arteria carotis in collo posita aneurismatica facta est, immodica pulsat et insolita ratione, ita ut ipsis oculis pulsatio conspici possit; dolores obtusi in parte colli laterali praesto sunt, facies rubicunda evadit, et suffocationis sensus aliquis aegrum arripit. Quod si autem aneurismate carotis laborat externa, quae ad penitiora encephali sanguinem ducit, non solum pulsationes majores fiunt, sed et facies ob nimium sanguinis affluxum rubet et accenditur.

Quum vero aneurisma in collo auctum multopere sit, tunc morbosa phaenomena patentius adparent; tumor aneurismaticus mole augescit, dolor fortior aegrum cruciat, pulsationes magis crebrae evadunt, respiratio non parum intercluditur, suffocationis sensu patiens frequentissime tentatur, ipsa quoque ciborum ingestio per deglutitionem difficulter conceditur, et somnus vix ingruit interrumpitur.

Si vero aneurismatica affectio arterias in regione subclaveari locatas arripiat, tunicarum expansio contra superimpositam claviculam vim facit, eamque sursum morbose et manifeste compellit.

Aneurisma autem carotidum quum jam ad summum gradum pervenerit, tunc aeger nequaquam decumbere nisi erecto capite potest, respiratione fere omnino interclusa, et deglutiendi facultate; hinc pulsationes arteriarum ad summum adauctae increscenti violentis ipsam claviculam infringere valent, et non raro etiam thoracis primas costas disrumpere visae fuere; quo fit tandem ut de repente aeger suffocatus miserrimam occumbat mortem.

Nunc de affectionibus aneurismaticis, quae in thorace sedem suam figunt, verba facturus, ante omnia animadvertendum est, incipientis aneurismatis in arteria aorta, pulmonali, aliisve in arteriis, quae praecipue ab aorta originem ducunt, et ex arcu ipsius aortae aliisque praecordiorum vasis proficiscuntur, signa esse in principio morbi valde obscura et ambigua.

Hinc pulsationes ipsae inordinatae cordis et arteriarum, speciatim in hypocondriacis et in hystericis mulieribus, incipiens aneurisma cordis aut praecordialium arteriarum simulare quodammodo possunt.

Quapropter prudens medicus hisce in casibus de praesentia aneurismatum in praecordiis sedem habentium judicium ferre si velit, in errorem facillime adducitur: saepe saepius enim accidit, ut sedatis hypocondriacis turbis vel hystericis, signa ipsa, quae aneurismatici morbi formam aspectumque praeseferebant, penitus evanescant.

Quaedam nihilominus dantur signa, quibus occulte latentem morbum dignoscere concessum in-

terdum est: etenim ut primum haec vasa deprehendit aneurismatica affectio, cor et arteriae inordinato modo diu noctuque pulsant; hocque magis fit quando aeger aut scalas vel quaeque alia excelsiora petit loca, aut ventriculum ciborum copia gravaverit, vel spirituosa pocula ingesserit, vel demum si motus tantillum justo celeriores instituerit. Quum vero adoleverit morbus, profundioresque egerit radices, omnia etiam morbosa phaenomena et majora evidentissime fiunt, et potentiora et nova prius existentibus junguntur. Pulsationes nempe arteriarum in primis crebriores immo continuae accedunt, quae somnum perturbant et aegrum semisopitum excitant, nec illi decubitum nisi supinum, erectaque cervice permittunt; quare et orthopnaea et suffocationis insultu crebro corripitur.

Alia insuper graviora phaenomena in hoc morbi stadio caput extollunt, videlicet praecordiorum anxietas, dolor ad sterni regionem, qui postea molestissimus factus una cum stupiditate per artum praecipue dexterum superiorem ad digitos usque ejusdem lateris excitatur. De hoc fere pathognomonico symptomate in aneurismatibus internis arteriae praeaertim aortae sic et ipse scribit Morgagnius: « Narrabat aeger, ait auctor, obnoxium esse factum molesto quodam ponderis sensu, cujus sedem videri sibi confirmatam in thorace intimo contra mediam sterni regionem, et respiratio magis laedebatur, et gravissimus quidam stupor per utrumque artum superiorem extendebatur, quod etiam ab aliis aua-

» tomicis observatum fuit; quod phaenomenon a » pressione praesertim nervorum cervicalium atque » brachialium originem ducere potest. »

Praeter haec omnia, aedemata in artubus inferioribus et superioribus etiam, facie non excepta, solent adparere. Sed ad tertium stadium quum morbus pervenerit, morbosa cuncta phaenomena superius enumerata extremum violentiae gradum adipiscuntur, aegrumque absque mora excruciant. Si aneurismatica affectio aortae arcum praecipue occupat, aliquando evenit ut adhaesiones ipsae costarum ad sternum distrahantur, quandoque etiam disrumpantur, fere semper autem ita elevetur illa pars cartilaginea, quae cum superiori parte sterni conjungitur, ut tumor externe etiam non exiguus pateat. Æger porro in lectulo decumbere nequit, et solummodo erecto capite sedere parumper, aut lento gressu deambulare; suffocationis sensu gravissime extorquetur; alimenta vix ac ne vix quidem assumere potest, et inter convulsivos motus et universi corporis agitationes solet de repente vitam amittere.

Arteria aorta abdominalis, quae ex majori suo trunco ramos quamplurimos omnibus impertitur visceribus in abdominis cavo contentis, ipsa quoque non infrequenter aneurismaticis affectionibus tentatur. Sub morbi primordiis non ita facile aneurismata abdominalis arteriae dignosci conceditur, eo quod voluminosa viscera, quae anterius sunt posita, explorationem difficilem reddunt, vel saepius omnino impediunt.

Quemadmodum vero arteria ipsa abdominalis aortica supra dorsi et lumborum vertebras interius incedit, ideo pulsationes inordinatae hujusce arteriae ab aegro facilius, quam ab ipso medico explorante, in dorso percipiuntur. Ex hoc praecipuo trunco arterioso ramificationes hinc inde prodeunt, quae viscera diversa petunt, et per ventriculum, per pancreas, per mesenterium, per hepar, lienem renesque disperguntur.

Quod si itaque aneurismatica expansio caeliacam arteriam lacessat, haud difficili negotio in oculos incurrere potest. Hinc pulsationes immodicae ad cordis scrobiculum, ad regionem hypocondriacam sinistram percipiuntur, quae quidem, post assumptum cibum ant potum praecipue copiosum, magnopere exacerbantur, respirationem laedunt, et quandoque lipothymiam inducunt.

Arteria vero abdominalis satis ampla per totum sui trunci curriculum aneurismatica fieri potest. Quum autem aneurisma hujusce arteriae summum evolutionis gradum tetigerit, pulsationibus suis irrequietis atque indefinentibus vertebras ipsas osseas tum in thorace tum in lumborum regione corrodit, et sulcos et erosiones, morbosasque foveas in iisdem vertebris imprimit. Ingraveacanta morbo, torpores in artubus inferioribus enascuntur, aedemata pultacea, aliaeque morbosae manifestationes, quae imminentem aneurismatia rupturam indicant, superveniunt.

Sed modo ad causas peculiares enumerandas, quae ad teterrima haec mala excitanda conducere

possŭut, inquisitionem meam convertam. Si mea itaque non me fallit opinio, in eam sententiam adducor, ut existimem infinita ea omnia mala organica praecipue et interna ab ipsis vitae primordiis originem ducere, exclusis accidentalibus atque ab externa causa productis. *Nascentes morimur, finisque ab origine pendet;* ideo intima ipsa et primordialia viscerum praesertim stamina eo modo fabrefacta sunt, ut aliquem originalem defectum secum conferant, dinque servent, inde ad certa et gravissima mala disponant.

Causae insuper quamplurimae ad excitandas aneurismaticas angiectases internas aptae exsistunt, quae a fortioribus animi pathematibus, ab ira praecipue atque furore, a moestitia diuturna, a terrore pendere omnino videntur, quum mehercle verum ait quod illustris Wauswietenius ait, de hoc animi pathemate verba faciens: « Terrorea vires corporis immi» nuunt, et motus inordinatos ad cor ipsum et ad » praecordia inducunt; menstrua derepente in mu» lieribus supprimunt, in puerperis et lactantibus » necessarias separationes lactis et lochiorum suspen» dunt aut etiam omnino tolluut, turbas et convul» siones excitant, et quandoque aneurismaticas affe» ctiones promovere possunt. » Praeterea et studia ardua sine aliqua intermissione continuata, immodicos conatus in cantu, vociferationes nimium protractas, sonitus instrumentorum, quae aere ex ore expulso tractantur, aliaque hujusce generis ad haec mala generanda plurimum conferre docet experien-

tia. Errores ipsi in rebus sic dictis non naturalibus; abusus in primis liquorum spirituosorum omnium, et praesertim spiritus vini, aliorumque similium, ebrietates quotidianae, crapulae, nimia venus, turpis ouanismus, nymphomania, et caetera omnia, quae nimiam commotionem in solidis et in vasorum systemate excitant, ad angiectases aneurismaticas internas producendas plurimum valere possunt.

Ad causas vero externas quod attinet: compressiones thoracis praecipue in primo aetatis aevo, contusiones, vulnera in dorso aut ad lumbos inflicta, casus ab alto, conatus etiam ad grave pondus extollendum, equitationes, ludi laboriosi plurimum, vel quaevis alia corporis nimia exercitatio, procatarcticae sunt causae, quae internas affectiones aneurismaticas inducere queunt.

Hisce omnibus expositis, aliqua addenda sunt, quae a medicis et prophylacticis praesidiis desumpta, levamen aliquod hujusmodi in circumstantiis afferre valent, ut saltem aegrotantis vita diutius quam fieri potest protrahatur, conservetur, aut modo infelix minus evadat.

Non me latet tamen aneurismaticas affectiones, quae vasa in majoribus cavitatibus locata corripiunt, incurabiles fere semper abire, nec ulla medica ope aut chirurgica operatione tollendas esse; de quibus morbis optime cecinit Sulmonensis poeta:

Non est in medico semper relevetur ut aeger;
Interdum docta plus valet arte malum.

Tamen nihilominus multa sunt praesidia, quae

aneurismate aegrotanti a medicis praestari possunt. Et quidem quemadmodum massa sanguinis copiosa impetum nimium et turbas excitat in vasis arteriosis, et praecipue in iis quae propius ex corde ipso proficiscuntur; ideo necesse est ut in affectionibus aneurismaticis praecipue internis, per sanguinis emissiones sanguinis copia imminuatur. Quod si aeger valde plethoricus sit et florenti aetate constitutus, repetitas sanguinis depletiones usque etiam ad animi deliquium tolerare potest. Hoc praesidium unicum fere est et salutare remedium in curando, quantum fieri potest, hoc terribili morbo. Si vero in aegro haemorrhoidalibus affectionibus obnoxio accidat forte, ut haec sanguinis benigna excretio supprimatur, statim haec vasa aperiantur oportet, et quidem non una vice, sed saepe immo saepius, quum graviora symptomata insurgant, et vita aegrotantis in discrimine versetur. Quemadmodum autem ex aliis externis et chirurgicis praesidiis, videlicet ex rubefacientibus, epispasticis, fonticulis parum levaminis expectari potest, ideo sola phlebotomia prudenter instituta et repetita curam fere omnem absolvere potens est. Balnea autem calida praesertim et thermalia in talibus affectionibus nullo modo conveniunt, eo quod importunam sanguinis rarefactionem afferunt, solida corporis omnia mirum in modum relaxant, et interni aneurismatis rupturam favere valent. Qua de re fomentationes potius ex aqua frigida et gelida quoque, ad scrobiculum cordis appositae, ad sternum, ad thoracem, levamen aliquod inferre possunt in iis

gravissimis praecordiorum morbosis symptomatibus, a quibus aeger detentus atque exagitatus in summam vitae emittendae formidinem injicitur.

De remediis pharmaceuticis ut aliqua in medium proferam: purgantia prae primis drastica et validiora certe non sunt iis aegrotantibus exhibenda, qui praedictis affectionibus laborant; quaevis enim potentis quae valido stimulo organa, et speciatim in hisce casibus, interna lacessens sanguinis circulum concitat, omnino periculosa habenda est; leviora solummodo remedia, si necessitas urgeat, epicratica ratione exhibenda sunt; clysmata potius tuto adhiberi possunt, et quidem non acria atque irritantia, sed blandiora demulcentia, scilicet mucilaginosa ex lacte et oleo parata, atque similibus; numquam emetica juvant, nisi parva dosi et epicratice administrata.

Quod si in aegro dyscrasia aut scorbutica, aut syphilitica, aut scrofulosa plurimum eminent, has quidem medicus cautissime tractabit, et ab heroicis remediis antimoniatis, mercurialibus, aliisque similibus praesidiis omnimode abstinebit, ne primarius morbus aneurismaticus augeatur potius, et aegrum ad necem citissime perducat. Usus etiam roborantium omnium atque adstringentium prudenter instituendus est, et ipsae aquae thermales speciatim non nisi cautissima manu propinanda sunt iis omnibus aegrotantibus, qui jam confirmato aneurismate interno conflictantur.

Ad regimen demum diaeteticum quod spectat, in hisce casibus haec omnia diligentissime observanda

sunt: aegrotantes isti alimenta nimium crassa et nutrientia non assumant, uti carnes fumo aut sale duratas, aut aromatibus conditas; uno verbo, omnia ad digestionem difficilia atque minime apta effugiant: e contra carnes molles, leviores, ex juvenibus animalibus desumptas, atque vegetabilia quaeque et lacticinosa in usum trahere possunt. Pari modo ab istiusmodi aegrotantibus haustus sunt evitandi liquorum omnium spirituosorum exaltantium, et ipse vini usus, nisi parcissima dosi assumpti; et, ut multa paucis comprehendam, ab iisdem errores omnes in rebus non naturalibus sic dictis sunt effugiendi, et praecipue vitent animi pathemata, et omnia illa, quae nimiam mentis aut corporis defatigationem promovere queunt. Ex quibus omnibus rebus rite ac recte adhibitis sperandum erit, ut tales aegri, nisi ad perfectam salutem, ad meliorem certe valetudinis statum perducantur.

Exigua haec, quae circa has dirissimas morbosas affectiones, meliori ingenii acie atque profundiori studio perscrutandas, tam imperfecte et misere exhibui, veniam vestram erga auctorem experientia et facundia expertem non impediant Satis et amplius mihi erit si hoc munus tribuent.

THESES

I.

Aneurismaticae affectiones, quae chirurgicam opem recusant, vix umquam medica tantum radicaliter sanandae.

II.

In affectionibus aneurismaticis internis prudens medicus praesidia tantum prophylactica et diaetetica instituere debet.

III.

Maximam partem morborum, quae humanam speciem excruciant, intemperantia vel producit vel exacerbat.

IV.

Morbus venereus universalis oriri potest, quin ulla affectio localis primitiva surrexerit.

V.

Licet medico, quando morbo cuidam cronico convenientia omnia pharmaca frustra opposuit, empirica quaedam ignota prudenter tentare.

VI.

Ex protracta unius remedii in humanum organismum applicatione, deletur tandem hujus reactio et prioris efficacia.

VII.

Qui nimium naturae medicatrici fidit, morbum committit morbo sanandum.

VIII.

Ne contagium quidem ipsum potentia absolute morbosa.

IX.

Nec pulsuum normalis conditio morbi praesentiam oppugnat.

X.

Contra mutationes morbosas, non contra symptomata, remedia sunt praescribenda.

XI.

Morbosa phaenomena aneurismatis vel arcus aortae, vel cordis ipsius, sunt illis quae a carditide lenta et cronica habentur valde similia.

5